



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Gallicanus M. 25. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Hæc itaque signa ubi iterum in hostem
vertit, victoriam illi eripuit, & quia
maternas delicias aspernatus erat, nu-
tricem DEVS cervam submitit, à cuius
lacte, & ambrosiâ cælo depluente satur,
facile ex animo matris ubera delevit.
Cæterum in pias latebras tandem Bo-
rivojus Bohemorum Dux devenit, du-
cem cervam, quam diximus, secutus,
telo trajectam. Multum igitur lætus
tam felici venatione, hortatu Ludmillæ
conjugis lectissimæ matronæ, Tetinam
arcem suam abduxit IVANEM. Sed hic
exosus aulas, non multò post in spelæum
suum iterum cõcessit, ubi posteaquàm
annos II, & XL. egit, tandem lubens
aliquando exivit ad aulam, sed cæle-
stem illam, & in quâ nulli magis, quàm
silvicolarum istiusmodi mores proban-
tur. *Ex Nicolao Salio.*

S. GALLICANVS M. 25. Junii.

GALLICANI Victorias de Persis
& Scythisq; relatas admirandi, illam,
quâ seipsum triumphavit, imitandi jus
esto. Eo gloriæ venerat, ut Constantiæ
conjugium præmium militiæ poscenti
Constantinus pater negare nihil sit au-
sus, modò Scythas Romanis finibus
ejecisset. In eo dum est, milites panico
perculsi metu, magnam partem dilapsi
infrequentia signa reliquere. Anxio eâ
re Gallicano Ioannes & Paulus Con-
stantiæ

Z

stantia familiares, voti Deo nuncupandi consilium suggessere. Obtemperantem caelestis strategus crucē praeferens, eo fretum signo, cinctumque, quos ipsi adduxisset, stipatoribus, sequi se è vestigio iussit. Ita per attonitos hostes ad ipsum Scytharum regem penetravit. Neque ille ausus hiscere adversus tantam vim, vitam pactus se suaque Galliano permisit. Inde illi veri Numinis admiratio, ejusque ritē colendi ardor injectus. Romam deportato exercitu, abdicatā conjugii spe, rebusque humanis valere iussis, seipsum Christianae modestiae finibus circumscripsit. Ille orbis terror, & secundus à Constantino Dux, pater pauperum, peregrinorum hospes factus, pedum sordes abluere, agrorum leuulos sternere, inferre convivantibus cibos, obstupescente orbe terrarum, visus est. Iulianus denique pestis pietatis hanc tantam virtutem proscripsit, & gladio addixit. Decuit nimirum ut toties victor caelum laureatus ingrederetur, triumphalem currum manibus pauperum trahentibus. *Ex Suario.*

S. VIGILIVS EP. MART.

26. Iunii.

VIGILIVM Pontificē Tridēto Roma submisit annos non nisi XX. natū, sed jam tunc, si virtutes numerasses, grandævum. Ergo ab hāresi urbem, à superstitione deinde omnem latē viciniam